

Ad verba Apostoli: *Unusquisque*, etc. *D.* circa aliquam praxim præsertim disciplinæ, quam ecclesia liberam unicuique reliquit, *C.* in rebus fidei definitis *N.* Hoc enim inauditum in ecclesia est, et Apostolus, ut patet ex contextu, loquitur de libera discretionem ciborum et quorundam legalium observatione.

II. Obj. Spiritus evangelii est spiritus libertatis; et sane Christus, cum in mundum venit, præstitit erga degenerem judæorum religionem, quod postea Lutherus efficere tentavit in ipsa religione catholica, tunc temporis sæde immutata per usurpationes papales et insectatorem monachorum spiritum medio ævo (1); ergo.

Resp. *D. A.* Spiritus evangelii est spiritus libertatis a lege mosaica ac legalibus observantiis, vel per oppositionem ad spiritum servitutis et timoris legis mosaicæ, *C.* est spiritus libertatis, ita ut liberum unicuique sit credere, sentire et innovare in rebus fidei, prout magis libet. *N.* Absurda enim esset libertas illa credendi quodlibet, verum aut falsum, fidemque omnino destrueret.

Ad probationem, *Neg.* impiam et blasphemam comparationem. Equis enim, nisi deista vel atheus, impurum ac scelestissimum apostatam, qui immani arrogantia inconsutilem Christi vestem, id est, ecclesiam, dilacerare aggressus est, per rebellionem filiorum adversus propriam suam matrem omnia susdeque vertendo, audeat comparare cum unigenito Filio Dei, qui non venit solvere legem, sed adimplere (Matth. V, 17)? Ubinam signa inveniuntur ejus missionis? Ubi vaticinia, ubi miracula? Nisi per summum nefas velis inter ipsius prodigia satanicum plane furorem, fornicationes, adulteria, sacrilegia recensere (2).

Quod si Christus abrogavit legem ceremoniale et judiciale, substituendo umbræ ac figuræ rei veritatem, necessario debuit vetus pariter sacerdotium abrogare, lex enim et sacerdotium relativa sunt; at tamen novum in se sacerdotium instituit ac sempiternum, cujus ministros voluit perpetuari in ecclesia sua per continuam successionem, usque ad sæculi

objecto nisi diversam rationem exponendi ea quæ ad fidem pertinent, salva semper fide ipsa.

(1) Ita auctor operis *Chronologie universelle*, vol. 100. *De la Bibliothèque du citoyen du XIX siècle.*

(2) Vid. Lessius, in *Consultatione: Quæ fides et religio sit capessenda*, Consid. ix, quinta ratio ex vita et morum conditione; ubi pessima Lutheri et Calvinii vita in propatulo ponitur. Quod attinet ad miracula Lutheri nemo id ignorat, quod testis ocularis refert Frid. Staphylus, in *Absoluta apologia*, pag. 404, de Luthero anno 1545, exorcizante quamdam juvenem de Misnea Wittembergæ; ea nempe ratione, qua (Act. xix, 16) in filios Sævæ demon insiliit, sic insiliit in Lutherum ejusque socios, nec levi illos damno affecit. Staphylus, quum Lutherum magistrum suum jugulo a dæmone arreptum conspiceret, et fugam moliens serram recludere non valeret, securim a clerico per fenestras injectam adeptus, fores excidit salutique suæ et incolamitati consuluit. Cons. Baddley, *A sure way to find out the true religion*, Boston 1831, pag. 66.

consummationem, cum potestatis plenitudine, quam in episcopatu, sensu jam exposito, collocavit.

Si aliquot præterea abusus in ecclesia (1) circa disciplinam vel individuorum mores identidem exoriantur, quis poterit tales abusus extirpare, nisi ecclesia ipsa, quæ sola talem a Christo auctoritatem nacta est? Nunquam privatorum est potestatem in ecclesia Dei exercere. Si proinde qui sibi ejusmodi jus arrogent, tanquam sacrilegi et perduelles habendi sunt, ac detestandi veluti profani usurpatores, si fidem approbatam ab ecclesia mutare volunt.

III. Obj. Scriptura ubique supponit liberam doctrinæ discussionem et examen ex parte fidelium, qui debent probare utrum spiritus ex Deo sint, ut præscribit apostolus Joannes (I Joan. IV, 1); quibus præterea injungit Paulus: *Omnia probate, quod bonum est tenete* (I Thess. V, 21); qui cavere debent, ne quis eos seducat (Coloss. II, 18); quique jubentur omnem externum excludere magisterium, cum Spiritus Sanctus unumquemque interius doceat ad fidem necessariam: *Non necesse habetis*, inquit Joannes, *ut aliquis doceat vos; sed unctio ejus (Christi) docet vos de omnibus, et verum est, et non est mendacium. Et sicut docuit vos, manete in eo* (I Joan. II, 27). Quod sane consonat veteri prophetiæ, in qua dicitur: *Ponam universos filios tuos doctos a Domino* (Joan. VI, 45, coll. Isaia: LIV, 13); quod quidem vaticinium suum adimplementum in Novo Fœdere habuisse tradit Christus, qui propterea vetuit, ne quispiam ex discipulis suis vocaretur magister: *Quia magister vester, inquit, unus est Christus* (Matth. XXIII, 10); ergo.

Resp. 1. *N. A.* Nihil quippe evincunt adducta testimonia, quæ alio sensu semper intellexit ecclesia.

Resp. 2. *Neg. Ant.* Ad quatuor vero priores probationes, *D.* Et allata testimonia speciatim tendunt ad excludendum systema spiritus privati, *C.* ad illud cohonestandum, sive ad excludendam ecclesiæ auctoritatem *N.* Etenim allati textus inducti sunt ad præmonendos fideles, ut caveant a privatis et suspectis doctoribus, qui, cum apostoli adhuc in vivis essent, jam cœperant hæc illac disseminare falsa dogmata, ac puram apostolorum doctrinam corrumpere. Quapropter ipsi, utpote vigiles pastores, gregem sibi commissum perpetuo monent de imminente periculo, ac de necessitate obsequendi legitimæ aucto-

(1) Vid. Muzzarelli in præclaro opere, *Il buon uso della logica in materia di religione*, tom. I, edit. Florentiæ 1821, opus II, cui titulus est: *Abusi nella chiesa*; scite Cl. auctor distinguens inter *abusus ecclesiæ et abusus in ecclesia*, merito negat, vel aliquando extitisse, vel extare posse abusus ecclesiæ, seu totius ecclesiæ corporis, nisi Christus promissis suis potuerit deesse; abusus enim quoslibet ecclesia nunquam probavit, sed perpetuo damnavit atque proscripsit, juxta illud s. Augustini effatum: *« Ecclesia Dei inter multam paleam, multaque zizania constituta, multa tolerat; et tamen quæ sunt contra fidem vel bonam vitam non approbat, nec tacet, nec facit »* (Ep. 55 ad Januar.). At fatetur, abusus esse in ecclesia, semperque aliquot fuisse, et futuros esse, quia cum ex hominibus ecclesia coalescat, qui fragiles sunt et infirmi, impossibile est, ut nemo sit, qui humana non patiat.

ritati, si immunes ab erronea doctrina et seductione esse velint. Subditeniminter ceteros B. Joannes: *Hæc scripsi vobis de iis, qui seducunt vos* (I Joan. II, 26). Apposite Bellarminus, lib. 5. *De verbo Dei*, cap. 10, ad argumentum 12, inter cetera habet: *Hæc scribit s. Joannes, quomodo si catholicus aliquis scriberet catholicis, qui ab hæreticis obsiderentur et perturbarentur; non necesse habetis, ut aliquis lutheranus vel calvinista doceat vos doctrinam Christi; omnino enim quæ vos scire oportet jam didicistis et tenetis ex prædicatione ecclesiæ, adjuvante unctioe Spiritus Sancti.*

Ad 5. probationem, *D.* Christus in adductis verbis vanam excludit nominis gloriam, *C.* excludit magistros ab ecclesia *N.* Alioquin quomodo dixisset apostolis: *Euntes docete?* Ex eo autem, quod se unum magistrum prædicet non sequitur quod excludat ecclesiæ magisterium. Opportune enim observat s. Augustinus magistrum proprie ac præcipue illum dici, qui doctrinam a seipso habet, non vero item illum, qui doctrinam ab alio acceptam ceteris tradit. Ecclesia autem non aliud filios suos docet, quam quod didicit ab ipso Christo.

Inst. Apostolus inquit: 1. *Non dominamur fidei vestræ* (II Cor. I, 23); et 2. *Spiritualis homo judicat omnia, et ipse a nemine judicatur* (I Cor. II, 15); ergo.

Resp. ad 1. *D.* Non dominamur, id est, non intendimus ob prædicatam vobis fidem arbitrarium in vos exercere dominatum cum ostentatione potestatis, *C.* non intendimus germanam in vobis fidem conservare *N.* Ut patet ex scopo et contextu istius capituli, et prout ipse exponit Rosenmüller (1). Et sane solus Deus est, qui dominatur fidei nostræ; ecclesia nos non docet nisi ea, quæ Deus revelavit.

Ad 2. *D.* Judicat omnia judicio privato, quod tamen non dissentiat ab ecclesiæ magisterio, *Tr.* judicio definitivo ac independentem ab ecclesiæ auctoritate *N.* Addendum, non deesse qui ita explicent citatum textum, ut hinc falsum ostendant ethnicorum vel profanorum judicium de religione christiana; nullus enim christianus erroris circa doctrinam quam proficitur argui potest (2), et sane congruit contextus. Sed dato etiam, quod de christiano a Spiritu Sancto interius edocto sermo sit, sciri nunquam potest certitudine fidei, quinam ejusmodi homo spiritualis sit.

IV. Obj. Ea, quæ ad salutem spectant diligentissimo examine ponderanda ac discutienda ab unoquoque sunt, nisi velimus ipsum naturæ jus prorsus violare; liberum ergo unicuique erit ecclesiæ judicio adherere, vel ab eo recedere, quoties conscientia aliud suadet.

(1) In hunc locum, cui præverat Bern. a Piconio; si quid enim boni in suis commentariis habent protestantes, id a nostris mutuati sunt, nec unquam fere fontes indignant. Hoc præclare ostendit Dr. Petrus Fourer. Ackermann Canonicus lateran. in opere, quod inscribitur *Prophetæ minores perpetua annotatione illustrati*, Viennæ 1850.

(2) Cons. citatus auctor in hunc locum.

Resp. *D. A.* Antequam fidem christianam quis amplectatur, seu quamdiu infidelis est, jus habet inquirendi in motiva credibilitatis, *Tr.* postquam fidem suscepit *N.* Fideli enim nullum *dubitativum*, ut vocant, examen permittitur, quod cum vera fide consistere nequit. Permittitur tamen iis, qui idonei sunt, examen tantum *discretionis*, ut magis magisque se in fide confirmet.

Inst. Saltem unicuique examen dubitationis licebit instituere circa veram ecclesiam, alioquin sequeretur, quempiam posse, imo et debere, sectæ, quæ christiana dicatur, et in qua natus sit, adhærere, quod est absurdum. Quod si examen dubitationis necessarium est ad veram Christi ecclesiam dignoscendam, quidni etiam ad cetera fidei dogmata discutienda?

Resp. *D. M.* Unicuique licitum est examen dubitationis circa veram ecclesiam, imo necessarium iis omnibus qui extra catholicam ecclesiam versantur, *C.* catholicis *N.* Ratio summæ disparitatis inter utrosque ex eo patet, quod catholicis per examen discretionis evidentia morali constet de perpetua et nunquam interrupta successione episcoporum ab apostolis usque ad nos, prout omnia publica monumenta testantur. Contra vero eadem morali evidentia constat omnibus sectariis de epocha, in qua ipsorum majores ab eadem ecclesia discesserunt ad novam societatem instituendam, quæ se se opposuit tum auctoritati tum fidei quam reliquerunt, vel a qua ob suam pervicaciam expulsi sunt. Ideoque primi certi sunt, et quidem certitudine fidei, de infallibilitate propriæ ecclesiæ, cui promisit Christus se adfuturum usque ad consummationem sæculi; sectarii autem nunquam sibi hanc infallibilitatem possunt polliceri, nisi velint sibi arrogare, quod denegant ecclesiæ universæ quam deseruerunt. Hinc catholici ex propriis principiis dubitare non possunt, sectarii autem ex propriis principiis dubitare debent. Verum de hoc argumento alias iterum agemus.

PROPOSITIO VII. — *Iis, qui auctoritatem rejiciunt catholicæ ecclesiæ, ut spiritus privati placita sectentur, nulla est vera fides, sed opinio tantum vel dubium.*

Ut omnis tollatur amphibologia, antequam manum admoveamus ad veritatem enunciatæ propositionis evincendam, præmittimus:

1. Ex recepta apud omnes doctrina, actum fidei bifariam constare, tum nempe ex objecto ut vocant, materiali, cujusmodi sunt veritates ipsæ revelatæ, tum ex objecto formali, seu motivo, auctoritate scilicet et veracitate Dei revelantis, quæ quidem duo una cum divinæ gratiæ auxilio requiruntur et sufficienti ad actum fidei theologiæ constituendum. Quum proinde dicimus respectu eorum, qui auctoritatem ecclesiæ catholicæ rejiciunt, ut sectentur placita spiritus privati, nullam dari fidem, id intelligimus ex defectu regulæ proximæ universalis atque infallibilis, quæ nobis tuto proponat tum veritates revelatas tum verum sensum revelationis, ita ut circa objectum mate-



riale decipi nulla ratione possimus. Quod enim revelatio supernaturalis data divinitus fuerit, et quod talis et non alius sensus sit ejusmodi revelationis, est quoddam factum, de quo nobis certo constare non potest, nisi per eos, quos Deus ipse constituit ejusdem testes, depositarios ac interpretes, quales ab initio fuerunt apostoli una cum Petro, in quibus cepit ecclesia docens, quæ viva semper est, ac jugiter perseverat vivo magisterio suo in Romanis Pontificibus, Petri successoribus, atque in episcopis, qui cum ipsis conjunguntur et ipsis subordinantur (1).

2. Non spectari a nobis hunc vel illum peculiarem fidei actum, quem quispiam circa unam vel alteram revelatam veritatem, independentem ab ecclesie magisterio, elicere posset, eo quod ipsi ex motivis, ut vocant, credibilitatis, vel evidenti morali certitudine de aliqua revelata veritate constare posset, ac de sensu obvio ejusdem revelationis: sed a nobis agi de toto potissimum fidei systemate, seu de universis articulis, quos omnes credere tenemur utpote a Deo revelatos. Christus enim, ut vidimus, integrum fidei depositum ecclesie suæ concredidit, ut hæc usque ad consummationem sæculi eandem fidem quam accepit, doceret omnes gentes: *Docentes*, ait, *servare omnia quæcumque mandavi vobis*; integrum propterea materiale fidei objectum intelligimus, non autem partiale. Quanquam, quod sedulo observandum est, nemo positive fidei actum eliciat, nisi dependentem ab ecclesie auctoritate, a qua, saltem ab origine, didicit tum esse revelationem, et talem sensum esse revelationis circa illam peculiarem veritatem. Si quandoque enim protestantes positive aliquid credunt, credunt ex principio, ut ita dicam, catholico, et ex ea parte catholici sunt, quod et de ceteris hæreticis est intelligendum; nam nemo est hæreticus vel protestans, nisi quatenus de suo vel adjecit, vel detraxit ab iis, quæ ecclesia docuit aut docet.

5. Adstruimus, eos hoc integrum materiale fidei objectum habere non posse, qui opponunt spiritus privati placita, seu substituunt spiritum privatum magisterio et auctoritati ecclesie a Christo institutæ; hocque ex duplici causa: tum scilicet ob regulas fidei remotas, cujusmodi sunt scriptura et traditio, de quibus ipsis constare non potest independentem ab ecclesie testimonio; tum ob ejusdem genuinum scripturæ et traditionis sensum, quem independentem ab ejusdem magisterio agnoscere nequeunt. Quæ quidem evincere intendimus tum a priori, ut dicunt, tum a posteriori, a jure scilicet et facto, seu agendi ratione ipsorum protestantium. Quæ quum ita sint, accedimus ad enunciatæ propositionis probationem.

Systema fidei est systema auctoritatis. Fides enim in genere non est nisi assensus alicui præstitum ob ejus auctoritatem. Apostoli autem a Christo edocti de veritatibus fidei, has easdem tradiderunt successoribus a se delectis, ut isti pariter has easdem integras transmittent ad seram usque posteritatem,

(1) Cons. Bolgeni in opere *L'Economia della fede cristiana*, Brescia 1790, cap. 4, art. 4 et seqq.

quales eas acceperunt absque ulla discussione. Apostoli rursus eorumque successores infidelibus eas ipsas credendas proposuerunt, et, cum totum istud supernaturale systema captum rationis excederet, signa ediderunt, vel motiva credibilitatis exposuerunt, ut rationabile esset eorum obsequium erga fidem. Quod tamen esset ad veritates ipsas, prout in se sunt, id semper expostularunt, ut omnes captivarent intellectum, et eas crederent, comminantes æternas pœnas his, qui eas credere detrectassent. Quotquot proinde crediderunt, crediderunt ob auctoritatem ecclesie, quæ testabatur a Christo seu a Deo se eas accepisse.

Propter infallibilem hanc ecclesie catholice auctoritatem, divinitus institutam, fideles omnes has et non alias crediderunt veritates tanquam totidem fidei articulos, has et non alias admiserunt traditiones tanquam divinitus acceptas, hos et non alios canonicos libros tanquam divinitus inspiratos, juxta celebre Augustini effatum: *Ego vero evangelio non crederem, nisi me catholice ecclesie commoveret auctoritas* (1). Augustino præiverat s. Irenæus, eundem sensum exprimens, dum ait, non apud alios quærendam veritatem quam apud ecclesiam; cum apostoli, inquit, quasi in depositarium dives plenissime in eam contulerint omnia, quæ sint veritatis, ut omnis quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ. Hæc est enim vitæ introitus, etc. (2); deinde exposita successione ecclesiarum apostolicarum, ac præcipue ecclesie romanæ, a quibus quærenda veritas esset, concludit. *Hac ordinatione et successione ea quæ est ab apostolis traditio et veritatis præconizatio pervenit usque ad nos* (3). Præiverat s. Polycarpus, qui ex testimonio ejusdem Irenæi: *Vir multo majoris auctoritatis et fidelior veritatis est testis quam Valentinus et Marcion et reliqui, qui sunt perversæ sententiæ. Hic docuit semper, quæ ab apostolis didicerat, quæ ecclesia tradidit, et sola sunt vera* (4). Præiverat Clemens Romanus, quem idem Irenæus asserit, *vidisse ipsos apostolos, et contulisse cum eis, cum adhuc insonantem prædicationem apostolorum et traditionem ante oculos haberet* (5). Præiverat s. Ignatius martyr, quem Eusebius testatur, *hortatum esse fideles, ut apostolorum traditionibus tenaciter inhærent* (6),

(1) Lib. *Contra epist. fundamenti*, cap. v, n. 6.

(2) *Contra hæreses*, lib. iii, cap. 3.

(3) Τῆ αὐτῆ τάξει, καὶ τῆ αὐτῆ διδασχῆ ἢ τε ἀπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ παραδόσεις, καὶ τὸ τῆς ἀληθείας κήρυγμα κατήντηκεν εἰς ἡμᾶς. S. Iren. *Contra hæreses*, lib. iii, cap. 3, p. 176, edit. Maurin.

(4) Μαρτυροῦσιν τοῖσι αἰ κατὰ τὴν Ἀσίαν ἐκκλησίαι πᾶσαι, καὶ οἱ μέχρι νῦν διαδοθέντες τὸν Πόλυκαρον, πολλῶ ἀξιοπιστότερον καὶ βεβαιότερον ἀληθείας μάρτυρον ἔσται, Οὐάλεντινον καὶ Μαρκίονος, καὶ τῶν λοιπῶν κακῶν γνησίων ἐξ καὶ.... μίαν καὶ μόνην ταύτην ἀληθειαν κηρύξας ὑπὸ τῶν ἀποστόλων παρεληφθέναι, τὴν ὑπὸ τῆς ἐκκλησίας παραδομένην. Ibid. pag. 177.

(5) Κλήμης, ὁ καὶ ἑωρακὴς τοῖς μακαρίοις ἀποστόλοις, καὶ συμβεβηκὸς αὐτοῖς, καὶ ἐτι ἑνωκὸν τὸ κήρυγμα τῶν ἀποστόλων, καὶ τὴν παράδοσιν πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχων, etc. Ibid. p. 176.

(6) Προβλεπὲ τε ἀπρὶξ ἔχουσαι τῆς τῶν Ἀποστόλων παραδόσεως. *Hist. eccles.* lib. iii, cap. 36.

nec non Origenes, de quo pariter idem Eusebius scribit: *Ecclesiastico insistenti canonii, quatuor dumtaxat evangelia testatur, his verbis: Sicut ex traditione, inquit, accepi de quatuor evangelis, quæ sola in universa Dei ecclesia, quæ sub cælo est, citra controversiam admittuntur* (1). Eusebius ipse, eodem loco primam Petri memorans epistolam, hoc ei testimonium reddit: *Petrus autem, cui tanquam fundamento superstructa est ecclesia Christi, adversus quam nec ipsæ inferorum portæ sunt prævalituræ* (2). Ut nihil dicam de Tertulliano, qui in suo libro *De Præscriptionibus*, totus est in hoc principio evolvendo adversus omnes hæreticos, et de iis, qui recensitas sententias exscripserunt, Cyrillo Alex., Capreolo Carthaginiensi, Vincentio Lirinensi, etc., qui unanimes in hoc principio adstruendo auctoritatis ecclesie catholice insistent, sive ad veros scripturæ libros ac traditiones apostolicas cognoscendas, sive ad germanum earumdem sensum exutiendum (3). Propter idem idcirco universale motivum, quo infideles christiani facti sunt, crediderunt omnibus et singulis veritatibus ab ecclesia propositis, propter auctoritatem nempe infallibilem ipsius ecclesie, seu per idem motivum facti sunt catholici per quod facti sunt christiani.

Si igitur norma et regula proxima fidei nostræ est auctoritas ecclesie proponentis, seu applicantis nobis divinam auctoritatem, et conditio sine qua certo et infallibiliter constare nobis non potest, quænam sint de fide tenenda, patet quod quicumque hanc rejicit, seu contra ejus auctoritatem protestatur, veram fidem habere nequeat. Nulla enim est ratio, cur quis hoc credat, aliud vero non credat; præter proprium spiritum privatum; et eodem modo, quo quis rejicit unum articulum, potest pariter et alium respuere, atque ita porro, donec ne vel unus quidem supersit, juxta Tertulliani dictum: *Idem licuit valentinianis, quod Valentino, idem marcionitis quod Marcioni, de arbitrio suo fidem innovare* (4). Cum autem spiritus privatus per se fallibilis sit et errori ac deceptioni obnoxius, evidens est nullam esse infallibilem regulam quoad eos, qui rejiciunt auctoritatem ecclesie, propter quam aliquid de fide credatur, ideoque

(1) Τὸν ἐκκλησιαστικὸν φυλάττων κανόνα, μόνῃ πέντε εἰδὲν εὐαγγέλιον μαρτύρεται, ὡδὲ ποὺς γράφον' ὡς ἐν παραδόσει μόνῶν περὶ τῶν τεσσάρων εὐαγγελίων, ἃ καὶ μόνῃ ἀνακτιβήντᾳ ἔσται ἐν τῇ ὑπὸ τῶν οὐρανῶν ἐκκλησίᾳ τοῦ Θεοῦ. Ibid. lib. vi, cap. 25.

(2) Πέτρος δὲ ἐπ' ᾧ κηκοδομεῖται ἡ Χριστοῦ ἐκκλησία. Euseb. loc. cit.

(3) Cons. Gerdilius, in *Comra. adv. Bohemerum*, opp. edit. Rom. tom. xi, pag. 77.

(4) *De præscript.*, cap. 42, cujus integer textus ita est: «Mentior, si non etiam a regulis suis variant (hæretici) inter se, dum unusquisque proinde suo arbitrio modulator, quod accepit, quemadmodum de suo arbitrio ea composuit ille, qui tradidit. Agnoscit naturam suam, et originis suæ morem, profectus rei. Idem licuit valentinianis quod Valentino.... Denique penitus inspectæ hæreses omnes in multis cum auctoribus suis dissentientibus deprehenduntur» (pag. 217. edit. Rigaltii, Lutetiae Paris. 1664).

intra humanæ opinionis limites non concludatur quidquid ab ipsis vel admittitur vel rejicitur. Cum nemo insuper possit tanquam certam propriam tueri sententiam, alienam autem, quæ suæ opponitur, certe ut absolute falsam rejicere, in iis præsertim, quæ humanæ mentis captum superant, infertur, per hanc substitutionem spiritus privati auctoritati ecclesie, necessario oriri dubium aliquid universale, nec quemquam unquam posse verum fidei actum elicere, ac necessario in dubio absoluto in iis, quæ ad fidem pertinent, versari debere; vel si quis actum fidei elicit, non elicit, prout adnotavimus, nisi ex principio catholico.

Hæc magis ac magis confirmatur ex doctrina et agendi ratione ipsorum protestantium. Aliquot enim dogmata ab initio rejecit Lutherus, alia negavit Calvinus, alia Zwinglius, alia anabaptistæ, omnia demum rejecerunt sociniani, methodistæ, rationalistæ, deistæ. Pastores genevenses adeo desciverunt a placitis Calvinii, ut postremis hisce annis bellum, hactenus non sopitum, moverint adversus doctores et ministros quosdam, qui, a proposito sibi systemate discedentes, aliquot dogmata, ex. gr. peccati originalis, Trinitatis, Divinitatis Christi, adhuc retinere ac defendere conabantur (1).

Hinc in Recognitione protestantica protestantismus definitur: *actus independentiæ rationis humanæ in negotio religionis* (2). Juxta Anglicanum Watson, protestantismus est *actus, quo quis credit quidquid vult, et profitetur quidquid credit* (3); vel prout traditur in catechismo anglicano nuper vulgato: *Protestantismus est detestatio papismi (catholicismi) et exclusio papistarum (catholicorum) ab omni officio ecclesiastico et civili* (4); juxta quam definitionem, licet omnia rejiciantur fidei dogmata, et omnia subvertantur moralitatis principia, dummodo rejiciatur ecclesia catholica, quisque poterit esse protestans, ideoque et judæus et islamita imo et ethnicus. In controversia nuper habita in provinciis confederatis America septentrionalis a Breckenridge, protestantismus definitur: *Religio reformata et opposita ecclesie catholice romanæ, quoad doctrinam, moralitatem, regimen, disciplinam ac cultum*; et alibi: *Religio revelata ac consistens cum ss. Scripturis tanquam unicus fidei ac praxis seu morum regulis, et quæ contra errores et corruptiones ecclesie romanæ protestatur* (5). Quæ qui-

(1) Vid. edictum senatus genevensis latum adversus eos, quos vulgo nuncupant *Momiers*, in *Mem. cath.* Févr. 1824.

(2) *Revue protestante*.

(3) Apud Milner, *The end of religious controversy*, etc. part. 3, pag. 125.

(4) *The protestant's catechism, by the Bishop of Saint-David*, pag. 12. Juxta Tzschirner professorem Lipsiensem protestantismus est *un christianisme dégagé de formes gênantes*; juxta theologos tigurinos, protestantismus consistit in *triplici libertate examinis, interpretationis et publicæ professionis*; et ita porro, adeo ut mira sit dissensio in ipsa protestantismi definitione.

(5) In *Controversy between rev. Messrs Hughes and*



dem definitiones congruunt cum ceteris allatis, cum statuunt essentiam protestantismi consistere in privata scripturarum interpretatione et protestatione adversus ecclesiam catholicam. Istiusmodi principiis insistentes nonnulli ex protestantibus rejiciunt hoc vel illud caput e sacris libris (1), hunc vel illum librum e censu Scripturarum divinarum; sunt qui rejiciunt omnem inspirationem librorum sacrorum; sunt qui affirmant christianismum necessarium non esse nisi ad solam moralem institutionem; sunt denique qui asserunt nullas actiones esse per se immorales, seu nullas dari actiones *subjective immorales*, sed solum *illegales*, quatenus minus congruunt cum humana societatis legibus et institutis. Omnia enim affirmant subesse necessitati naturæ, nec posse dari pugnam et oppositionem inter mentem et *sensibilitatem* (2). Jam vero quis non videt hac agendi et quilibet sentiendi licentia omnem funditus tolli christianam religionem, vel ad summum non amplius retineri christianismi nisi nomen et larvam?

Propterea ex dictis jam sequitur 1. Protestantismum non esse, ut cum chymicis loquar, nisi *principium dissolvens* religionis christianæ, quæ vitam non habet

Breckenridge, Philadelphia 1835, cont. n. xx, p. 226, nunquam hic provocator stetit regulis utrimque statutis, sed omnia miscet atque confundit. Mire in eum congruit Cl. Comitis De Maistre dictum: « Sur les points où il n'est pas possible de bien raisonner, l'esprit de secte fait tout ce qu'il peut, il divague, il donne le change, et surtout il s'étudie à laisser les choses dans un certain demi-jour favorable à l'erreux. » Soirée 8, p. 96. Et ipse quidem confugit ad loca communia inquisitionis, noctis s. Bartholomæi, etc.

(1) Speciminis gratia nonnulla indicabimus exempla. Duo priora capita evangelii s. Lucæ rejecerunt Evanson in *The dissonance of the four generally received Evangelists and the evidence of their respective authenticity examined*, Ipswich, 1795, 8; J. E. C. Schmidt, *Das ächte Evangelium des Lucas, eine Vermuthung; seu Evangelium authenticum Lucæ*, in Henckii *Collect. pro religiosa philosophia, exegesi et historia ecclesiastica*, part. 5, sect. 5, pag. 475 et seqq.; Horst, *Ueber die beyden ersten Kapitel im Evangelium Lucas*, seu *De duobus primis capitibus evangelii Lucæ*, in Henckii *Musæo*. Authentiam ultimæ sectionis evangelii Marci, a versu 8 ad finem, multi impugnarunt; cfr. Michaelis *Begräbniss- und Auferstehungs-Geschichte*, seu *Historia sepultura et resurrectionis*, p. 179; Telleri, *Neues Magazin*, etc., seu *Nova collectio pro concionatoribus*, vol. 5, § 5, alique non pauci apud Kuinoel. in *Comment. in lib. Novi Testamenti hist.* Caput 21 s. Joannis præter novos templarios in ipsorum codice, qui *Levitikon* inscribitur, Parisiis vulgatus anno 1831, fere omnes recentiores biblici protestantes rejiciunt, vel saltem in dubium revocant. Cons. Kuinoel, op. cit., Clericus, etc.

(2) Apud Baronem De Stark, op. cit. et Trembley, pariter op. cit. Nos inferius ex his omnibus aliquot eorum, quæ hic indicavimus, documenta proferemus; interim omissis quæ Sociniani, antinomii, alique sectarii docent, satis sit ea in medium afferre, quæ testatur Trembley, op. cit. pag. 262 et seqq. in ipso nempe reformationis sinu doceri: « Qu'il n'y a point d'actions immorales par elles-mêmes, quoiqu'elles puissent être illégales, d'après les lois et les conventions de la société; qu'il n'y a point d'action *subjectivement immorale*, mais que tout est soumis à la nécessité de la nature, et qu'il ne peut y avoir d'opposition entre la sensibilité et la raison. »

nisi in sola ecclesia catholica, quæ cum ea quodammodo identificatur (1).

Sequitur 2. Protestantes, ac proinde hæreticos omnes, nullum habere vinculum unitatis religiosæ, cui propterea consulere non possunt nisi per auctoritatem civilem et politicam (2), vel per commune odium adversus ecclesiam catholicam a qua discesserunt (3).

Sequitur 3. quod si nonnulla adhuc christianismi lineamenta supersunt apud heterodoxos, et omnes fructus suos nondum protulit protestantismus apud populum, id unice repetendum esse ex incoherencia pastorum ac ministrorum qui propriam auctoritatem auctoritati ecclesiæ catholicæ substituerunt, vel ex influxu validissimo, quem adhuc, saltem indirecte, exercet catholica ecclesia in istas sectas, etsi ab ea divisas et rebelles.

Sequitur 4. merito nos affirmasse rationalismum et naturalismum, etc., esse verum, naturalem et necessarium fructum illius principii, in quo tota posita est reformatio seu protestantismus, independentiæ nempe absolutæ et completæ a legitima aucto-

(1) Apposite Comes de Maistre in opere, quod inscribitur *Du Pape*, liv. II, ch. 5, scripsit: « Si le protestantisme porte toujours le même nom, quoique sa foi ait immensément varié, c'est que son nom étant purement négatif, et ne signifiant qu'une renonciation au catholicisme, moins il croira, plus il protestera, plus il sera lui-même. Son nom devenant donc tous les jours plus vrai, il doit subsister, jusqu'au moment où il périra, comme l'ulcère périt avec le dernier atome de chair vivante qu'il a dévoré. » Quod plane congruit cum iis quæ habet Apollonius: *Sermo eorum* (hæreticorum) *ut cancer serpit* (a Tim. II, 17).

(2) Experimento compertum est plurimum sæculorum, sectas quæ se subduxerunt legitimæ auctoritati spirituali, prolapas fuisse sub imperium sæculare seu civile, quod multo duriorum in ipsas exercet potestatem, quam unquam ante earum rebellionem in ipsas exercuerint Romani Pontifices. Quare merito scripsit Feller, *Dict. hist.* tom. VII, pag. 262. « Tous ceux qui se sont séparés du grand corps de l'église et de son chef, n'ont jamais manqué de tomber sous une autorité profane et arbitraire. » Hoc jamdiu observaverat Melancthon in *Præfatione* suorum operum, ubi vehementer conqueritur, jugo papali, quod non erat nisi ligneum, suffectum fuisse jugum ferreum *politicorum* seu laicorum, qui sibi arrogaverant auctoritatem terribiliorem papali. Centuriatores magdeburgenses, in *Introductione ad centuriam VII*, graviter et ipsi de eodem malo conqueruntur. Sic anglos non pudit pro Romano Pontifice Elisabetham veluti papissam habere. Sic alibi supremi magistratus omnia spiritualia negotia, synodos, liturgiam, etc., moderantur, et ministri non aliud possunt nisi auriculas demittere, et abjectissime in his omnibus, velint nolint, assentiri.

(3) Odium omnium sectarum adversus religionem seu ecclesiam catholicam potest vere dici ipsarum vita et alimentum. Indidem tot machinationes oriuntur, insectationes, fraudes de quibus consuli potest Lessius, *Diss.* cit. *Quæ religio sit capessenda; Septima ratio ex dolo et fraudibus*. Superius vidimus definitum protestantismum in catechismo anglicano, *odium papismi*; deputati genevenses ad synodum dordrechtanam declarant omnium nomine: *Nous ne voulons avoir aucune sorte d'union avec les catholiques, au contraire nous les méprisons et nous les haïssons* (§ 15, ex sess. XXV et XXVI).

toritate, seu ab auctoritate ecclesiæ catholicæ, quam unice Christus constituit custodem, interpretem infallibilem, depositariam et testem suæ doctrinæ ac religionis.

## DIFFICULTATES.

I. Obj. Protestantes auctoritatem ecclesiæ a Christo institutæ minimè rejiciunt, sed ab usum istius auctoritatis, qui posterioribus sæculis inolevit. Imo *emendatores sacrorum* (1), qui quovis sæculo insurrexerunt, nihil innovaverunt in rebus fidei, sed solum protestati sunt adversus novitates, quæ in eandem ecclesiam identidem irrepserunt, fidem revocantes ad simplicitatem ecclesiæ purioris ac primitivæ; ergo.

Resp. N. A. et adversariorum suppositionem. Nullus enim ejusmodi auctoritatis abusus in iis, quæ ad fidei ac morum integritatem spectant, juxta Christi promissa in ejus ecclesia locum habere potest. Hac autem appellatio ab ecclesia præsentis ad ecclesiam primitivam ac puriorem præteritorum sæculorum non est nisi pallium, quo semper nisi sunt isti (non *emendatores*, sed *corruptores* sacrorum, id est, *hæretici*) cohonestare propriam perduellionem, ut populis fucum facerent. Ebionitæ, elcesitæ, simoniani, nicolaitæ, cerinthiani, gnostici insurrexerunt adversus novitates apostolorum, et appellarent in istorum hypothesi ad puriorem ecclesiam, qualis erat vivente adhuc in terris Christo Jesu (2).

II. Obj. 1. Independentia religiosa protestantium non est absoluta, sed circumscribitur sacris bibliis, quæ sunt codex revelationis. Cum igitur quidpiam ipsi de fide tenent, illud tenent ob auctoritatem sacræ scripturæ, quæ perspicue ejusmodi articulos, in quos credunt protestantes, in se continet; ergo independentia religiosa ab auctoritate ecclesiæ in seculo protestantium non officit, quin aliquid de fide credatur (3). 2. Imo ex hoc intelligitur, quomodo ecclesia protestans una sit, non minus quam ecclesia romana, quum una fide et sacramentorum administratione juxta mentem sui fundatoris (Christi) omnes fideles conjugat, ut Otto bene exponit (4). Vel prout rem explicat D. Tittmann, 3. adeo sibi ecclesia protestans unitatem vindicat, ut (a) sacram

(1) Ita passim Wegscheider alique protestantes Lutherum et Calvinum designant. At apposite Cl. Comes De Maistre, lib. IV, *Du Pape*, sic ironice eos pingit: « Jésus-Christ reparut parmi nous, pour assurer solennellement à son église une assistance aussi durable que le monde. Mais, hélas! cet effort de l'amour tout-puissant n'eut pas à beaucoup près tout le succès qu'il annonçait. Par défaut de science ou de force, ou par distraction peut-être, Dieu manqua son coup et ne put tenir sa parole.... bientôt cette religion sainte, révélée à l'homme par l'Homme-Dieu, ne fut plus qu'une infâme idolâtrie, qui durerait encore, si le christianisme n'eût été brusquement ramené à sa pureté originelle par deux misérables. »

(2) Cfr. s. Iren. *Contra hæreses*, loc. cit.

(3) Ita *Renue protestante*; cui addi potest D. Breckenridge, in *Controversia americana*, loc. cit.

(4) In opere, quod inscribitur *Der Katholik und der Protestant*, id est, *Catholicus et Protestans*.

scripturam pro unico revelationis fonte habeat, b) sempiternam veritatis propagationem et c) continuum Ecclesiæ christianæ progressum admittat (1); ergo.

Resp. Ad 1. *Neg.* rursus *antec.* et suppositum. Rejcta semel ecclesiæ catholicæ auctoritate, unde constat protestantibus libros sacræ scripturæ fuisse inspiratos et divinos, vel inspiratam fuisse quamlibet ipsorum partem nisi ex ipso spiritu privato, qui est solus judex independens inspirationis? Nonne Lutherus expunxit integros libros e censu scripturæ divinitus inspiratæ? Et post Lutherum nonne recentiores quidam Germaniæ protestantes divinam inspirationem plurimarum partium scripturæ, imo et totius scripturæ formaliter rejecerunt (2)? Nonne ex reformatis Benjaminus Constant, cui concinit recognitio protestans, aperte tradit libros Veteris Testamenti corruptos magna ex parte fuisse a spiritu sacerdotali Esdræ, quem exasperaverat infortunium (3)?

*Neg.* præterea *conseq.* Etenim si spiritus privatus est solus interpret et quidem independens sacrorum codicum, quidquid putat quis se invenisse ad fidem

(1) *Ueber die Einheit in der evangelischen Kirche*, seu *De unitate in Ecclesia evangelica*, Lipsiæ 1826.

(2) Cons. *On the state, etc. seu De statu religionis protestantis in Germania*, R. Hugh James Rose; ubi auctor licet anglicanus deplorat statum, ad quem demum devenit protestantismus in Germania; ibi protestantes nonnulli accusant s. Paulum apostolum judaismi, Semlerus e contra ipsum affirmat fuisse gnosticum; alii, ut Ammon, Wegscheider, Hense, etc., omnem supernaturalem revelationem et inspirationem Spiritus Sancti ab auctoribus sacris explodunt; imo scriptura universa non est nisi quedam introductio ad rationem param. Baro de Starck, op. cit. pag. 155. cum nonnulla excerpta attulisset Clodii doctoris biblici ac superintendentis protestantis Hildesie, qui in suis *Aperçus primitifs du Christianisme*, edit. anno 1808, accusat Christum Dominum velut falsarium ac perjurum in mortis conspectu, utpote qui prodidit veritatem solemnem iurjurando coram Judæis, etc. demum refert ejusmodi tractum: « D'après l'évangile de Matthieu, la doctrine est exposée avec beaucoup de suppléments étrangers et de changements; il ne peut par conséquent servir de règle de foi. L'évangile de Jean et ses lettres ne sont pas de lui, mais l'ouvrage de quelque juif. On y trouve plusieurs choses blâmables et contradictoires; la doctrine en est gnostique, Paul, dans ses lettres, n'a point quitté ses idées judaïques; il continue de croire à la divinité de la religion juive, d'admettre une résurrection réelle de la chair, et on ne trouve point chez lui la doctrine de la providence. Les lettres de Pierre et de Jacques et celle aux Hébreux sont comme celles de Paul; en général, les écrits du Nouveau Testament ne peuvent produire aucun corps de doctrine bien lié et bien avéré, etc. Sed satis est oculos conjicere in ipsos biblicorum neotericorum libros, ut quisque certior fiat, quo tandem devenerint protestantes. Quæ enim adduximus non sunt nisi levia lineamenta, et tamen hi sunt, qui pro unica religionis basi sumpsisse sacram scripturam gloriantur!

(3) Op. cit. *De la religion considérée dans sa source*, etc. tom. II, pag. 242: « L'Histoire des Juifs, scribit, ayant été recomposée de nouveau par Esdras, (ut ipse gratis affirmat) qui était de race sacerdotale, et qui, dans son zèle, aigri par le malheur, exagérait la sévérité des lois de Moïse, les livres hébreux durent se pénétrer de l'esprit sacerdotal, etc. »



pertinens, de fide erit, quidquid vero ad fidem minime pertinere existimaverit, omnino respuet. Tot proinde erunt fidei symbola, quot capita, imo cum quisque opinionem suam sæpe mutet, erit de fide hodie, quod cras erit falsum. Nihil proinde fixum in tali systemate habetur præter perpetuam inconstantiam et fluctuationem. Nulla alia fidei regula erit præter subjectivam ac privatam uniuscujusque persuasionem, seu potius opinionem vel dubium. Experientia et historia id evidentissime ostendunt (1).

Ad 2. D. Una sit nomine ac negative, Tr. re et positive N. Nisi velis sub unica fide totam omnium contradictionum congeriem comprehendere; ut si quis dicat: *Christus est Deus*, alter vero: *Christus non est Deus*, hæc eadem fides est, ideoque ambo eandem fidem profiteremur et ecclesia nostra una est; et sic dicatur de ceteris omnibus articulis. Quare sæpe provocati protestantes ad communem fidei professionem edendam nunquam adduci potuerunt ad id præstandum; cur vero, nisi quia ex protestantismi fundamento hoc est ipsis impossibile? Si enim fundamentum ac ipsa natura et essentia protestantismi, ut protestantes sæpe professi sunt, consistit in independentia religiosa individuali in materia fidei, clare patet, impossibile omnino esse, ut ipse possit unam habere fidem, imo nec fidem ipsam, cum fides in hoc systemate non pendeat nisi a subjectiva uniuscujusque persuasionem, quæ et individua est, fallax atque inconstans. Ex quo sequitur, non aliam in protestantismo reperiri posse unitatem nisi negativam, quæ scilicet consistit in negatione fidei cujuscumque.

Ad 3. Neg. vindicari etiam hac ratione posse fidei vel ecclesie unitatem, sive tria argumenta a Tittmann adducta seorsim, sive simul sumantur. Non sufficit a) quod ecclesia protestans habeat scriptu-

(1) Cons. *Lettre de M. Laval, ci-devant ministre à Condé-sur-Noireau, à ses anciens coreligionnaires*, Paris 1823; in qua inter cetera invictissime ostendit, protestantes ex suis principiis non posse affirmare aut in quo consistat vera fides, aut quid sint biblia, quia eadem ratione qua primi reformatores et sacrorum librorum numero aliquot expunxerunt, eodem jure et ex eodem principio quisque potest alios et alios expungere, quin argui possit, vel tolli e numero protestantium, cum ita se gerat ex subjectiva persuasionem et juxta libertatem, qua primi reformatores usi sunt, prout reipsa se se gesserunt, ut vidimus, biblici protestantes. Atque hic obiter prævenienda est difficultas, quæ obijci posset, nempe etiam inter catholicos extitisse atque extare non paucos, qui non minus absurda circa religionem ac sacros libros protulerunt, nec tamen istorum aberrationes adscribi posse seu imputari religioni catholice, sic a pari protestantismo imputari non posse privatorum deliramenta. Reponimus enim, ingens esse discrimen inter catholicos et protestantes; illi enim agunt contra propriæ religionis principia, quæ ejusmodi deliramenta proseribit et damnat, resistunt auctoritati, etc., at protestantes agunt ex reformationis principiis, natura et essentia, quæ consistit, ut toties diximus, in libertate examinis quam habet spiritus privatus, cum independentia a quacumque auctoritate, et proinde nemo jus habet istos erroris arguendi, contra accidit in communione catholica, cujus fundamentum est principium auctoritatis ecclesie doctis.

ram sacram pro unico revelationis fonte; alioquin sociniani et methodistæ, unitarii omnes, rationalistæ, etc., qui omnia dogmata rejiciunt, sive Trinitatis, sive Divinitatis Christi, Incarnationis, transmissionis peccati originalis, realis Christi præsentia, etc., constituerent unam ecclesiam, et profiterentur fidei unitatem cum lutheranis et supernaturalistis protestantibus, qui illa se adhuc profiteri contendunt; omnes enim recensiti sectarii habent Scripturam sacram pro unico revelationis fonte. Imo omnes prorsus omnium sæculorum hæretici, qui tot paradoxa effutierunt, servarent fidei et ecclesie unitatem, eo quod omnes Scripturam pariter pro unico revelationis fonte habuerint, quod quam absurdum sit nemo est qui non videat.

Id ipsum dicatur de sempiterna veritatis propagatione, quæ secundo loco recensetur, quid enim sibi vult adversarius illa *sempiterna veritatis propagatione*? Hæc enim vel sunt verba sensu vacua, vel si quem sensum habent, nihil aliud significant nisi sempiternam *confusionis et chaos* propagationem; tot enim pene sunt, ut vidimus, in protestantismo sententia quot capita; alter ex ipsis affirmat quod alter negat, donec desperatione compulsus protestantismus omnes ubique fere rejecerit libros symbolicos, omnemque fidei professionem; et tamen Tittmann loquitur de sempiterna veritatis propagatione, quamvis ignoret penitus, quale sit hujus veritatis objectum.

Sed neque sufficit quod tertio loco posuit, quod scilicet *continuum ecclesie christianæ progressum* admittat, cum non alius progressus in protestantismo sit, nisi de errore in errorem. Adeo enim protestantismus hodiernus differt a protestantismo primitivo, ut, excepto principio fundamentali nuper memorato de independentia individuali, toto cælo ab illo differat; cum omnes abjecerit veritates, quas primi protestantes cum ecclesia catholica adhuc retinuerant; ad quam defectionem cohonestandam recentiores excogitarunt principium *perfectibilitatis*, id est, destructionis.

Dixi præterea illam unitatem tria hæc a Tittmann recensita etiam simul sumpta non constituere, cum nulla secta sit cui accommodari non possint; simoniani, nicolaitæ etc., potuissent pariter sibi ejusmodi unitatem vindicare, etsi jamdiu evanuerint, prout evanesceat protestantismus, non obstante sua *sempiterna veritatis propagatione et continuo progressu*.

Inst. Satis saltem erit implicite credere ea omnia, quæ Christus docuit, seu ut loquitur Otto (1), juxta mentem sui Fundatoris; ergo.

(1) In opere *Der Katholik und der Protestant*, in quo ea refricat, quæ ante ipsum alii dixerunt, atque inter ceteros Baronissa de Stael, in suis *Considérations sur les principaux événements de la révolution française*, tom. III, p. 15; ubi scribit: « Il n'est aucune question ni de morale, ni de politique, dans laquelle il faille admettre ce qu'on appelle autorité. La conscience des hommes est en eux une révélation perpétuelle, et leur raison un fait inaltérable. Ce qui fait l'essence de la religion chrétienne, c'est l'accord de nos sentiments intimes avec les paroles de

Resp. Neg. Necesse enim est credere ea, quæ Christus docuit per ecclesie magisterium, id Fundator religionis christianæ voluit, id non semel patefecit, ut ex adductis testimoniis patet. Alioquin inutilis plane fuisset ejus revelatio, penitus ignoraremur fidei nostræ objectum, religionis veritates jam nullum in nos influxum exercerent, et in perpetua versaremur fluctuatione. Eo magis quod ejusmodi ignorantia voluntaria sit, atque a perduellione et contumacia proveniat.

(a) PROPOSITIO VIII. — *Hæretici et schismatici declarati extra Christi Ecclesiam sunt.*

Hic non loquimur, ut ipsa propositionis enuntiatio indicat, de iis qui in hæresi vel schismate ignorantia invincibili, seu, ut præfertur, bonâ fide versantur. Hos siquidem animâ saltem, seu spiritu ad veram Christi Ecclesiam pertinere, ut infantes omnes ritè baptizatos, nemo est qui dubitet. Neque pariter loquimur de hæreticis aut incredulis vel occultis, vel nondum ab Ecclesia solemnî judicio declaratis. Quamdiu enim isti ab Ecclesia sejuncti aut expulsi non sunt, ad ejus saltem corpus spectant. Propositio igitur est de illis, qui exterius ab Ecclesia divisi sunt; et in separatam ac distinctam ab ipsâ societatem aut cœtum coalescunt, et quidem per voluntariam ac culpabilem defectionem.

Hos autem neque ad animam, neque ad corpus, ut aiunt, Ecclesie, sed nullo modo ad Ecclesiam pertinere facile est evincere. Sectarii atque schismatici, sunt veluti totidem rami excisi à magnâ illa arbore, quam Christus plantavit ut cresceret usque ad consummationem sæculi; sunt rivuli à fonte separati, membra à corpore recisa. Utpote perduelles atque in proprio sensu perversæ contra Ecclesie definitiones, ipsos eadem Ecclesia damnavit atque excidit ab unitate. Ecclesia juxta Christi mandatum eos habet velut ethnicos et publicanos, et coherentes ad Pauli aliorumque Apostolorum doctrinam et praxim veluti proprio judicio condemnatos et subversos devitat, nec ullâ ratione communicat, nec sinit in spiritualibus communicare cum eis filios suos. Ergo hæretici atque schismatici voluntarii tam alieni sunt ab animâ Ecclesie, quam alienus et extraneus est error à veritate, et divisio et confusio ab ordine et individua unitate; tam

« Jésus-Christ; et alibi: Le droit d'examiner ce qu'on doit croire est le fondement du protestantisme. Les premiers réformateurs ne l'entendaient pas ainsi. Ils croyaient pouvoir placer les colonnes d'Hercule de l'esprit humain aux termes de leurs propres lumières; mais ils avaient tort d'espérer qu'on se soumettrait à leurs propres décisions, comme infaillibles, eux qui rejetaient toute autorité de ce genre dans la religion catholique. » (De l'Allemagne, par Mad. de Staël, IV part., ch. II, in-12, pag. 15.)

(a) Præsentis de vera Religione Tractatus pars ad quam devenimus, nempe Propositiones VIII, IX, X,

sunt alieni à corpore ipsius Ecclesie, ut membrum à corpore abscissum, ut ramus ab arbore avulsus, ut rivulus à fonte divisus, ut rebelles ac refractarii à societate depulsi atque extorres. Hinc sicut nulla est conventio Christi ad Belial, et nulla societas lucis ad tenebras, sic nulla hæreticis et schismaticis pars est cum Christo ejusque regno, seu cum verâ Christi Ecclesia.

Hæc proinde semper fuit et sententia et praxis antiquitatis in revelatione fundata. Christus ipse, ut supra animadvertimus, in Apocalypsi acriter objurgat angelum, seu episcopum Ecclesie Pergami, eò quod pateretur in suâ Ecclesia quosdam tenentes doctrinam Nicolaitarum, et idcirco injungit ipsi pœnitentiam (1). Apostolus Paulus in epistolâ ad Galatas anathema dicit iis, qui docerent diversam doctrinam ab illâ quam ipse iis tradiderat. B. Joannes scripsit ad Electam et filios ejus: *Si quis venit ad vos, et hæc doctrinam non affert, nolite recipere eum in domum, nec ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi ave, communicat operibus ejus malignis* (2). Hinc ab ætate ipsâ apostolicâ Cerinthiani, Ebionitæ, etc., jam segregati erant ab Ecclesia, Ireneo teste (3). Cum idem S. Joannes Cerinthum in

XI et XII, paucis jam abhinc annis in nostro *Theologie Cursu completo* (tom. VI, col. 1215-1268) annuente equidem summa cum benevolentia inclyto Auctore plaudentibusque lectoribus prelo mandata est. Cum vero typis, ut aiunt, *stereotypicis* totum illud ingens opus conditum a nobis servetur, propterea illæ Propositiones, quales loco supra memorato editæ sunt, inde nunc temporis extrahuntur, ut hic ordine suo naturali componantur. Idem postea dicendum erit de diversis ceteris tractatibus quibus nostrum *Theologie Cursum*, prout se ferebat occasio, passim locupletavimus, scilicet:

In tomo VII (col. 891-912), *De dæmonum cum hominibus Commercio*;  
Ibid. (col. 1357-1382), *De Mundo et de Homine*;  
In tomo VIII (col. 769-852), *De Cultu Sanctorum*;  
Ibid. (col. 1484-1498), *De Devotione erga sacrum Cor Jesu*;  
In tomo XXV (col. 9-60), *De Ordine*;  
Ibid. (col. 65-102), *De Cœlibatu ecclesiastico*;  
Ibid. (col. 229-336), *De Matrimonio*.

Hos itaque tractatus integros a nobis jam editos ad classem suam primigeniam in decursu e nostris typis revocabimus. M.

(1) C. 2, 15: *Κρατούστας τὴν διδασχὴν τῶν Νικολαϊτῶν.*

(2) 2 Joan. v. 10, 11: *Et τις ἔρχεται πρὸς ὑμᾶς, καὶ ταύτην διδασχὴν οὐ φέρει, μὴ λαμβάνετε αὐτὸν εἰς οἶκον, καὶ χαιρεῖτε αὐτὸν, μὴ λέγετε. Ὁ γὰρ λέγων αὐτὸν χαιρεῖτε, κοινωνεῖ τοῖς ἔργοις αὐτοῦ τοῖς πονηροῖς.*

(3) Lib. 5 cont. hæres. c. 28; et apertè affirmat apost. Joannes, qui ep. 1 loquens de hæreticis cap. 2, 18, 19, inquit: *Et nunc antichristi multi facti sunt... ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis: nam si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum, etc., etc.* Hieronymus De script. eccl. testatur eundem Apostolum rogatum ab Asiæ episcopis se contulisse ad conscribendum suum evangelium, ut illud opponeret Ce-